



SAMUELIS STRYKII J. U. D.

COM. PALAT. CÆS. SERENISS. ET POTENTISS. ELECT.
BRANDENB. CONSILIARII, FACULTAT. JURID. ORDINARII
ET DECRET. P.P.

DISSERTATIONUM
JURIDICARUM

FRANCOFURTENSIIUM
VOLUMEN NOVUM SIVE IV.



EX

JURE PUBLICO,
PRIVATO, FEUDALI
ET STATUTARIO
MATERIAS EXHIBENS.

I. De Seatibus Provincialibus.

II. De Aguis desertis.

III. De Eventu.

IV. De Suspensione ab Officio.

V. De Cera rubra & sacro Encausito.

VI. De Juramento Paupertatis.

VII. De Nam stipulata & porrecta.

VIII. De Benemeritis.

IX. De Abusu Juris Quasiti.

X. De Non usu Juris Quasiti.

XI. De Culpa Vasallo remissa.

XII. De Jure Primi.

XIII. De Jure Vidua Nobilis Marchica.

XIV. De Jure Vidua Nobilis Saxonica.

*XV. De Obligatione Principis ex facto Mini-
stri.*

*XVI. De Concursu Expectativa generalis &
specialis.*

XVII. De Suspiciione.

*XVIII. De Alienatione Rerum atque Bonorum
Civitatis.*

XIX. De Jure Presentie.

XX. De Jure Presentie circa negotia Imperii.

XXI. De Presumptione feudali.

XXII. De Pœnis Impuberum.

XXIII. De Civitate obarata.

XXIV. De Privilegiorum Interpretatione.

*XXV. De Jure ex alterius persona citra cess-
ionem vel successionem competente.*

Accessit

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAR. MAJEST.

FRANCOFURTI.

Sumptibus SAMUEL. WOHLERI, BIBLIOPOLÆ ULMENSIS.

MDCCXLIII.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Novum hic offero Volumen Dissertationum Academicarum, de diver-
sis publici privatiq̄ue Juris materiis, in quibus Generosi Nobilissimi-
q̄ue Juvenes sub meis auspiciis ingenii vires periclitari voluerunt,
Est hoc, post tria illa ante aliquot annos publicata Volumina, quar-
tum. Materiae ipsæ non proletariæ sunt, aut tritæ admodum, nec ex il-
larum numero, quæ Lectori nauscam parere queant. Exhibentur enim
hic themata ab aliis ex professo vix tractata, sed ex variis auctoribus collecta,
& in ordinem digesta, quæ si non alio nomine, certe utilitate illa, quam in
foro præstabunt, se favori Tuo, Cordate Lector, commendabunt facile. Hoc
tantum, quod in prioribus Voluminibus jam abs me factum est, hic iterum
rogandus es, ne mihi dicam scribas, si forte hinc inde illas defendi videris sen-
tentias, quæ aliis non probatæ, vel etiam a me ipso alibi improbatæ. Nec
enim ingenuo Professore dignum esse censeo, dictatoriam in Auditores potesta-
tem exercere, ac ut in verba Magistri jurent, invitos adigere: Hinc in Di-
sputationibus præcipue hanc libertatem ipsis relinquendam censui, ut, quam
quisque examinatis utriusque partis rationibus probabiliorem reputaret senten-
tiam, publico examini submitteret. Nec tamen facile hic quicquam assertum
videbis, quod vel ratione, vel aliorum Doctorum suffragio destitutum sit.
Quod si nihilominus quicquam censura dignum observaveris, hoc benigna
interpretatione juvabis, vel si placet, emendabis. Quod superest, Deo Ter
Optimo Maximo pro felici laborum successu, quo Nos & Auditores nostros
hucusque clementissime beare voluit, gratias persolvimus immortales, & ut
porro nobis adsit & Auditorum studia in Sui gloriam, Reipublicæ commo-
dum, ac justitiæ præsidium vergere sinat, devote supplicamus. Vale nobis-
que fave. Dabam Halæ Magdeburgicæ, die 10. Maj. A. O. R. MDCIIC.



DISPUTATIO PRIMA.

DE

STATIBUS PROVINCIALIBUS,

Die Octobr. Anno MDC LXXIX.

RESPONDENTE

ERASMO DIEDERICO DE REDER,
EQU. MESOMARCH.

PRÆFAMEN.

IN arduis Reipublicæ negotiis Prudentum consilio uti, quam utile pariter ac necessarium sit, nemo in rebus politicis vel mediocriter versatus non videt: Adco, ut nullam Rempublicam, quæ sine eo diu floruerit, unquam reperitam fuisse, vere mihi videar posse contendere. Rerum Romanarum primus ille Conditor Romulus, Reipubl. suæ, & populo Legibus prosperturus, cives omnes, teste LIVIO, in consilium adhibuit: Et ut Imperium Romanum felicissimo hoc auspicio cœpit, ita unico illo præsidio mire crevit, floruit, duravit. Quam enim ob causam sua Romani indixere Comitia, nisi, ut de rebus publicum bonum, salutemque respicientibus consilia caperent? Et quando in unum coiere, ubi consilia eorum non prosperrimum eventum habuerint? Quid? conjice oculos in totam, quacunque patet, Europam: intuere omnia Imperia, Regna, & melioris notæ Respublicas; nulla sine hoc fulcro stetisse, & adhuc stare animadvertes: Intuere Imperii Romano-Germanici Statum, nonne is consiliis, quæ Imperator cum Electoribus, Principibus & cæteris Statibus in publicis comitiis conferre solet, ceu columnæ unice innititur? Intuere parva Germaniæ Regna sive territoria Principum, nonne in Comitibus Provincialibus populorum salus pariter ac Principum dignitas acquiescit? Nonne felices Principatus vel Ducatus existunt, ubi Principes majora & graviora cum Statuum Provincialium consensu peragunt? Hoc etiam atque etiam apud animum meum considerans, altius eam rem meditari cœpi; & cum mihi injunctum sit ab illis, quibus parere gloria mihi, specimen aliquod edere Academicum, putavi, neminem mihi vitio versurum esse, si de Statibus Provincialibus nonnihil dissererem. Sunt ii, inter quos atque Principes in regionibus S. Rom. Imperii de rebus maximi momenti mutuo consultatur. Sunt ii, ex quorum consultationibus maximum in Rempublicam redundat emolumentum. Digni itaque, quos prolixius, & pro ingenii mei modulo persequar plenius. Te vero, Benevole Lector, ut omnia in meliorem partem interpreteris, modeste rogo, meque tuo favori etiam atque etiam commendo. Tractationem ipsam absolvent quatuor capita, in primo agetur de Statibus Provincialibus in genere: Secundum continebit, qui Statuum Provincialium nomine veniant. Tertium tractabit de Comitibus Provincialibus. Quartum absolvent res atque negotia, in quibus Statuum Provincialium Consensus adhiberi solet. Quod, ut feliciter prospereque succedat, DEUM submisse veneror.